

de majore & subjicitur minori, hinc *quarta* oritur figura. Quod argumentum etiam strenuè arsit Anonymus ille, qui omnem doctrinam Aristotelicam evertere omni, sed in validâ Minervâ allaboravit.

§. XV. Deinde (2) ille est bonus Syllogismus, cui competit Definitio Syllogismi ab Aristotele tradita: Sed Syllogismo quarta figuræ competit definitio Syllogismi E. Syllogismus quarta Figuræ erit bonus, & consequenter approbandus & non rejiciendus. Major probatur ex trito axioma te topico: *Cuicumq; competit definitio, ei quoq; convenit definitio*: minor inde ostenditur, quia Syllogismus a Stagirita *analyt. prior. l. 1. p. 1. c. 1.* dicitur oratio, in qua quibusdam positis, majori nempe & minori, aliud ex iis, quæ posita sunt, necessario sequitur, conclusio sc. Talis jam oratio est quoque Syllogismus quarta Figuræ, quippe qui ex veris præmissis servatis suis regulis semper elicit veram conclusionem.

§. XVI. (3.) Illi sunt optimi Syllogismi, qui ad primam figuram revocari queunt: Etenim Aristoteles modos secundæ & tertiæ figuræ esse optimos inde probavit, quia ad alios primæ Figuræ modos reduci possunt, ubi ipsorum consequentia fit manifesta. Sed Syllogismi, qui in 4. Figura conficiuntur, sunt tales. Sic Syllogismus in *DIRAMTIS*:  
*Q. homo est albus. O. album est mixtum. E. Q. mixtum est homo,*  
ita reducitur ad *DARII*, transpositione præmissarum & conversione conclusionis simplici hoc modo: *O. album est mixtum. Q. homo est albus. E. Q. homo est mixtus.* Erunt igitur optimi Syllogismi quarta figuræ, ac proinde necessario erit hujusmodi figura concedenda.

§. XVII. (4.) Illam terminorum dispositionem, in quâ excellentes probatique Autores suos Syllogismos frequenter sunt architectati, esse Figuram oportet; sed in illa terminorum dispositione, ubi medium primo prædicatur

C

&